

MISCELLEN

Notula grammatica

Emendationibus egregiis, quibus C. Wachsmuth (supra p. 150) multos epitomae historiae Alexandri a Wagnero editae locos mendis liberavit, nihil addere auderem, praesertim cum meas coniecturas alibi sim publicaturus (in ephemeride Berolinensi), nisi eum mutasse viderem quod recte se habere existimo, etsi a multis mutari solet. In verbis enim (p. 100, 20): *quod ubi factum Dahae Stiphamenen occisum audierunt eiecit Stiphamenen occisum* glossema tollere sibi visus. At multo latius patet epexegeteos usus quam artes grammaticae praecipiant, id quod nuper de alio genere demonstravit Vahlen ind. lect. 1900 p. 11 et 1900/01 p. 14 (cf. Aristot. poet. 3 115). Scribit igitur Apuleius metam. VIII 18 *unus illinc denique de summo cupressus cacumine ad nos inquit*. VIII 26 *statimque illinc de primo limine proclamat*. X 26 *indidem de potione gustavit* cf. XI 17: quae ne Vlietius quidem contrectavit, cum ab Hildebrandio optime defensa inveniret (ad VI 5 p. 411a). Talia ut plurima a poetis sumpsisse Madaurenssem pro certo habeo; velut Verg. ecl. 1, 53 *hinc . . . vicino ab limite* ubi plura dat Forbiger (Aliquantum diversa sunt quae concessit Mueller in Festschr. für Friedländer 543 sqq. imprimis 549⁷). Nolo talia commemorare quae omnibus nota sunt: *quod ubi Caesar conspexit, Labienum ab suis copiis longius iam abscessisse* (bell. Afr. 39, 5), sed ea potius quae exquisitoria. Ut ad Apuleium redeam, met. VIII 22 tangenda non sunt: *quo dolore paelicatus uxor eius instincta* neque opinor Augustin. ep. 117 p. 664, 9 Goldb.: *si tantum absit quod dedecet, quod in hac re penitus nihil est dedecoris* (ubi *quod* neutrum est pronominis relativi) neque Hygin. fab. 34, 4 *qui cum Danaus perisset*. Eadem audacia dictum quod olim immutabant a Minucio c. 1, 3 *ut . . . pari mecum voluntate concineret eadem velle vel nolle* cf. 26, 10 anth. lat. 1117, 1 Buech. *si pietas prodest quiquam, vivisse modeste*, ubi Buechelerum non recte arbitrator dubitare. Ex Graecis afferro Appiani praef. 10 ψ μόνω ἀρχαὶ μεγάλαὶ καταλύονται, στασιάσασαι (coniecturam inutilem profert Mendelssohn). Procli in remp. I 231, 9 τῶν οὖν ἀπλῶν τοιοῦτων ὄντων ἀμίκτων cf. 216, 6 Philopon. de aetern. 354, 20 τίνα δ' ἂν τις καὶ πλάσοι θυμοῦ ὀλότητα, εἰς ἣν τὸ θυμοειδὲς τῆς ψυχῆς μέρος ἐπὶ τῇ οἰκείαν ἀναδραμεῖται ὀλότητα; Fortasse etiam in Bacchylide praestat X 11 ἴν' ἀθάνατον Μοῦσάν ἄγαλμα ἔνδον ἀνθρώποισιν εἶη χάρμα, τεὰν ἀρετὰν (pro χάρμα τεὰν ἀρετὰν) μανῦον ἐπιχθονίοισιν, ὄσσα(κις) . . . κῦδος εὐρείαις Ἀθάνας θῆκας. Frequentia sunt eiusmodi exempla: τό τε πλῆθος ἐπαινήσεις καὶ τὴν ποικιλίαν, ὅτι . . . ἀμφοτέρα

μόνη κέκτηται Menand. rhet. 351, 15 Sp. (= 51, 15 Burs.) cf. 416, 13 (70, 14).

Vocem mittere (106, 33) tam latinum est quam quod maxime nec corrigendum in *emittere*; cf. Cic. pro Sest. 42 *vocem pro me ac pro re publica neminem mittere.*

Gryphiae.

Guil. Kroll.
